



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devote.

Leroy, François

Pragae, 1666

Capvt XV. In Christi Domini vulneribus assiduè ac libenter habitare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

Magdalena de Pazzis, dum in raptu quodam exclamabat ad Christum crucifixum: *Absconde me in vulneribus humanitatis tuae.* Et deinde: *Oculi mei maneant in oculis misericordie tue; aures mee in auribus tuis, ut intelligent & comprehendant vocem sponsi mei; os meum in ore tuo, ut os meum loquatur, quod tecum sponsus loquitur.* Pergitq; deinceps idem exequi, tum de membris alijs, tum etiam de universis animæ sua viribus, memoria, intellectu, voluntate, quæ omnia cupit conjungi exterioribus & interioribus facultatibus sponsi sui, ut in omnibus ipsa cum illo, aut ipse per illā operetur. Cujus utique statū securitatem felicitatemque commendans S. Ambrosius: *Quomodo (inquit) potest non serm. 15. in in eternum vivere, quem semperrena vita suscepit, quem totum ps. 118. sibi Christus assumpit, qui totus Verbi est, cuius vita abscondita est in Christo JESU?*

Sed de his satis. Nam amantes quidem, affectu duce, usiq; comite, his plura facilè reperient: non amantibus autem, etiam hæc erunt nimis multa...

C A P V T X V .

In Christi Domini vulneribus assidue ac libenter habitare.

§. I.

Ejus mysticæ habitationis ratio proponitur atque exponitur.

Frequens est apud Scriptores Asceticos, & passim obvium illud præceptum: animæ Christum amanti, & ad spiritualis vite perfectionem aspiranti, enitendum esse studiosius, ut in sacris Crucifixi vulneribus assidue habiter, & repudiatis cæteris, quæ foris sunt, in sacris illis foraminibus,

324 *Pars III. Interior anime occupatio
nibus, adeoq; in ipso Christi pectore, ut in Templo quodam
Pacis æternæ, secura conquiescat.*

Instit. spir. Ludovicus Blostius in *Institutione spirituali & alibi*
c. 6. pè Ascetam admonet, ut in cruce seu crucifixâ Christi Imagin-
nidulum sibi collocet, & in mellifluis vulneribus ejudem ben-
ignissimi JESU commoretur & requiescat. Joannes Rusbro-

Farrag. util. chius apud eundem: *Contemplare, quo* & *cum effectu vuln-
ra, que Dominus JESUS pro te ex amore suscepit: atq; bi-
sceris & reficeris. In patulo latere ejus, unde omnes gratiarum
promanant rivi, commonare, ut in amantissimo corde illius vi-
vas, in quo est Sancti Spiritus, & æterna charitatis plenitu-*

I. 2. de imit. Thomas à Kempis: *Requiesce in passione Christi, & in sacri
ejus vulneribus libenter habita.* Sancta iterum Catharina Ste-
nensis, Directori sua conscientia B. Raymundo scribens, &

Ep. iii. undem hortatur, ut in Christi plagiis sibi constituat habita-
tionem. Et sic passim alij: nec sine fundamento in dictis
Patrum, ut videbimus.

Præsertim autem, ut jam vidisti, commorandum es-
sent pio asceta in plaga lateris, in intimis Christi visceribus,
in ipso corde divino, amore nostri vulnerato atq; transfo-
P. 1. stim. c. Quocirca etiam S. Bonaventura admirandam illam contem-
plans transfigurationem, non quâ in monte Thabor appa-
ruit JESUS ut Rex gloriae, sed quâ in monte Calvarie defor-
matus est in virum dolorum; amore ardens atq; liquefens,
nec volens à Christo crucifixo vel punctum temporis sept-
rari, exclamat & ipse, non tamen nesciens quid diceret:
*Bonum est cum Christo esse. Et in ipso volo tria tabernacula-
cere, unum in manibus, unum in pedibus, & aliud continua-
in latere, ubi volo quiescere, dormire, vigilare, bibere, com-
dere, legere, adonire, & omnia mea negotia perfringere. Ni-
loguar ad cor ejus; & ab ipso quod voluero imperabo. Ita ille
utique habitationem sibi in Christi latere ac corde præfer-
tim deligens; in eoque uno & cubiculum sibi, & coenaculum,*
& mu-

& museum, & sacellum, & reliquias, quæ in nobili aliquo
domicilio optari possunt opportunitates, inveniens. Sed de
cordis Christi cōmodissimā habitatione, plura nos inferiūs.

Rursum autem idem Bonaventura alio in loco de ijs-
dem Christi stigmatibus seu vulneribus agens: *Ubiq[ue] (in P. r. stim. &
quit) & semper habitabo in illis; ut sim quasi in castro securus &
ab omni impulsu maligno.* Imitatus fortè S. Augustinum, cu-
jus ista leguntur in Manuali c. 21: *Tuta & firma requies, est in-
firmis & peccatoribus in vulneribus Salvatoris. securus illic ha-
bito.* Et cap: 23. *Longinus aperuit mibi latu Christi lancea,
& ego intravi, & ibi requiesco securus.* Ita ibi.

Illud autem hoc in genere speciale est, quod pluribus
tradit Andreas Alberti e Societate nostra, de Paula Maria *In Theopiste
à Jēsu Carmelitanā excalceatā:* eam videlicet aliquando l. 2. c. 7.
quinquaginta annos in Christi plagis sic habitasse, ut in earum
singulis ad annum unum domicilium sibi deligeret, ad eosq;
ingressus se compararet, perinde atque si de novo Monaste-
rium ingrederetur.

Quod si hic ex me quæsieris, quidnam illud sit, quod
appellamus in Christi vulneribus habitare; nonnulla sub-
jungo, ex quibus id possit aliquatenus intelligi.

Primum enim ille in vulneribus Salvatoris habitat; ;
qui de ijs assiduè recogitat, qui mentem in ijs defixam te-
net, nusquam interruptā contemplatione. Nam veluti si
quis alterius vultum observet & contempletur assiduè; re-
cte, etiam Tullianā phrasī, dicuntur istius oculi habitare in *Cic. Philip.*
vultu alterius: aut, quemadmodum Scripturæ verbo, is habet 12.
bitat in adjutorio Altissimi, cuius oculi conversi & intenti *Psal. 98.*
sunt ad Dominum, ut sibi auxilio sit: sic illum dicimus ha-
bitare in plagis Christi, qui nunquam ab eis cogitatione di-
vertat, sed in ijs mente animoq; semper verisetur. *Idcirco serm. 61. in*
denique audit (inquit S. Bernardus) *Columba mea in forami- Cant.*
nibus

326 *Pars III. Interior animæ occupatio
nibus petræ: quod in Christi vulneribus tota devotione ver-
tur, & iugis meditatione moretur in illis.*

Rursum: quando ea est ardenteris amoris vis, ut
mantis animum suo quodammodo divellat à corpore, atq;
in dilectum transferat, atque constituat; eam nos animam
dicemus habitare in Christi vulneribus, quæ solius Iesu
crucifixi desiderio & amore langueat, cum solum exquirat,
huic uni probare sese, ei se conformare studeat; in hoc uno
denique, velut in votorum suorum centro conquescat, su-
met oblita, cæterorum etiam (præterquam Christi vulnera-
ti) incuriosa...

Denique, cùm eos, qui in aliquo loco, non ut per-
grini & advenæ ad tempus commorantur, sed velut cives
perpetuò habitant, consæctarium sit oportere loci legib; vivere,
loci moribus, vestitu, lingua uti; eōq; confessim,
ut peregrinus dignosci soleat, si quis non loci instituta, sed
externos mores segetetur, si cultu utatur peregrino, si regio-
nis linguam non noverit: non absurdè illum in Crucifixi
vulneribus, aut in ipso Christo crucifixo habitare dicemus,
qui crucis segetetur disciplinam, Crucifixi legibus, Crucifixi
moribus vivat; Crucifixi veste, Crucifixi lingua utatur;
hoc est, qui ardentissime Domino suo assimilandi studio, ni-
hil nisi dolores & opprobria sibi optanda & amplexanda pa-
tet; nihil nisi crucem, suiq; contemptum atq; odium, aut
sapiat, aut loquatur; verbo, qui Crucifixi sensus atq; affec-
tus, aut (quæ vox est Apostoli Pauli) ipsum Christum indu-
erit, & in eum quodammodo transierit. Quò se pervenire
p. 1. f. 1. c. 1. indicare videtur S. Bonaventura: nam cùm aliquando vi-
cujusdam contemplationis eximia, in amantissima vulnera
Domini nostri Iesu Christi, ut ipse ait, subintrasset, & o-
culis jam oppletis sanguine, veluti palpando ad intimam
scera divinae charitatis ejus pervenisset, ijs undique circum-
plexus, exitum invenire non potuit: Ideoq; (subdit) *hinc
habet*

babito, & quibus vescitur cibis vescor, ac ibi inebrior sui potu, &c. Quod quidem quid aliud esse dicam; nisi jam, non hospitem & advenam, sed tanquam civem Christi viscerum, & domesticum cordis illius esse?

Ut igitur rem in pauca colligam: *Habitare in Christi vulneribus*, est Christi dolores ac vulnera perpetuò mente tractare; Jesu crucifixo ardenti amore inhærere; ex Crucifixi institutis ac disciplina vivere, eadem sentire, eadem loqui, & per omnia ejusdem moris & quasi coloris cum Christo crucifixo esse.

§. 2.

Habitationis in Christi vulneribus multæ ac pretiosæ utilitates.

Quanta porrò, putas, talis habitationis sunt commoda? Quanta Christum incolere, & in Christo manere, felicitas? Quanta securitas in illis foraminibus petræ, in illa sublimi & munitissima arce pectoris Christi? Quanta pax & quiete in illo secreto tabernaculo, atrio cœli, vestibulo supreme felicitatis? Quantæ deliciae in ipso corde Crucifixi, in illa cella vinaria, apotheca coelestium gratiarum? Quantæ divitiae in illo gazophylacio divinitatis? Ibi nimirum (ut pluribus infra demonstrabimus, cum privatim agemus de delicijs cordis Christi) ibi inquam est securitas à malis, vacuitas à curis, quiete à laboribus, silentium cupiditatum, soporatio sensuum, ebrietas animæ, transformatio spiritus, oblivio mundi, amissio sui, sapor, gustus, amplexus & intima possessio dilecti.

Quin (ut & hoc addam) non mens hominis duntaxat in Christo crucifixo habitans, in eo tam blandè ac delicate acquiescit; verum & corpus etiam ipsum, vi ejus supremæ & ineffabilis contemplationis, sensim tanquam Christiforme effectum, & ad diuinæ Christi crucifixi impressiones su-

Tt

scipi-

suscipendas aptatum, in ijsdem Christi vulneribus suam & ipsum quietem invenit, & eorum quodam gustu pascitur, illecebrāq; tenetur admirabili, ægrè ut deinde ab ijsdem possit avelli. Quod etsi videtur incredibile, id tamen Seraphico Doctori credamus licet, talium utique non inexper-

p. 1. ſim. c. 10. Ejus hæc verba sunt, loco superius laudato: *Crede mihi
ō homo! quia si in ipsum (scilicet Christum) per haec angustias
foramina intrare volueris, non solum anima, sed etiam qua-
tem ac dulcedinem mirabilem inveniet corpus tuum: & quod
carnale est, & ad carnalia tendit, ex illo vulnerum introitu fa-
deo spirituale, ut cæteras, præter eas quas ibi sentit deliciis,
repues esse nihil. Unde post pauca ita concludit: Et, fita ac-
cidit de corpore, quanta credis animam frui dulcedine, que
per illa foramina conjungitur cordi Christi? Certe exprimere
tibi nequeo; sed experiri, & scies.* Haecen S. Bonaventura.

Audiamus ad extremum S. Bernardum, illam anime sanctæ in Christi plagiis commorationem; ex eo magnifice & exaggeratè commendantem, quod anima in illis habitanſ, quasi extra ictum aut sensum sit tormentorum sui corporis: quippe quæ in illo jam non commoretur, sed alte immerſa sit intimis Christi visceribus; ex quo illa loco exultans, videt circa corpus suum occupatam carnificum infamiam, quasi hæc ad ipsum non magis pertineat, quād alii eno exerceatur in corpore. Ita enim ille de sancto Martyno in Christi vulneribus habitante: *Enimvero non senties su-
cūm illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians & tri-
umphans, toto licet laceretur corpore, & rimante latera frar-
ro, non modò fortiter, sed & alacriter sacram è carne sua cir-
cumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris?
Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus IESU, vul-
neribus nimirum patentibus ad introendum. Si in suis effet vi-
sceribus, scrutans ea ferrum profectò sentiret. Nunc autem in
petra habitans, quid mirum si in modum petra duruerit? si
negat*

neg, hoc mirum, si exul à corpore dolores non sentiat corporis.
Neque hoc facit stupor, sed amor. submittitur enim sensus, non
amittitur; nec deest, dolor, sed superatur, sed contemnitur.

C A P V T X V I .

Eadem anima Crucifixum amantis studia, non-
nullis figuris aut emblematis adumbrata.

§. 1.

Anima sancta, columba nidificans in vulneribus
Crucifixi.

D Enunciabat olim Propheta: Relinquite civitates, & Jerem. 48.
habitare in petra, habitatores Moab; & estote quasi
columba nidificans in summo ore foraminis. Idem tibi modò,
sed altiore sensu denunciatum existimes. Relinque civita-
tes, fuge tumultum hujus saeculi, solitudinem ama, quare
secreta; ipsum etiam curarum cordis tui strepitum, & tot
superfluarum cogitationum turbam devita. Temetipsum,
quoad fieri potest, tibi ipse suffurare & eripe, de te toto to-
tus egredere, & demigra in Petram, quæ Christus est. In-
istius petra felices latebras, profundè te penetra, intra ca-
vernas & hiatus vulnerum, & te totum penitus abde. Esto
quasi columba pennis dargentatis; & in summo ore fora-
minis, in plaga lateris, intrâ ipsa viscera & cor Christi, tu-
tam tibi domum, dulcesq; nidos constitue. Istuc enim & te
provocat Sponus verbis illis amoris ac desiderij plenissi-
mis: Surge, inquiens amica mea, speciosa mea, & veni: co- Cant. 2.
lumba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae. Quibus
quidem id à te contendit, ut instar teneræ & amabilis co-
lumbæ, in sacris suis vulneribus libenter habites. Nam fo-
ramina petrae, inquit B. Petrus Damiani, sunt quinque vulne- L. 7. ep. 19.
ra Re-

T t 2

ra Re-